



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

LII. An Fides Divina possit stare eum Scientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CONTROVERSIA LII.

OBSCURITAS FIDEI.

An Fides Divina possit stare cum Scientia.

222. **I**N hac Controversia non contendo cum Adversario pro Autoritate S. Thomæ, ad persuadendam assertionem P. Haunoldi, lib. 3. n. 293. dicentis, *actum Fidei Divinæ non repugnare cum evidentiâ physica objecti revelati, quæ habetur per sensus*: cum enim etiam P. Haunoldus pro responsione & mente S. D. intelligendâ, quando is in 2. 2. q. 1. a. 4. adversari videtur, Lectorem ad Petrum de Aragon, remittat, & potius assertionis suæ Veritatem ratione confirmet, sat magna Autoritate Alberti M. 3. dist. 24. a. 9. & S. Bona. ibid. a. 2. q. 3. subnixam: Ideo referam solummodo argumentum P. Haunoldi, ab Adversario dissimularum.

223. [Omnis actus circa cujus objectum potest intellectus ab alio actu adjuncto accipere firmitatē & robur in adherendo, potest cōjungi cū tali actu, à quo accipit ejusmodi firmitatem & robur: sed intellectus stante evidentiâ physica, potest ab actu Fidei accipere firmitatem & robur. Ergo potest cum actu Fidei conjungi. Major patet, quia nulla ratio est, cur intellectus repudiet actum, à quo potest magis in suo fine firmari; sicut Voluntas nullum bonum necessarium respuit, quo ejus finis potest promoveri. Minor autem probatur. Evidentiâ physica non ita certificat intellectum, ut ejus motivum assentiendi appareat penitus infallibile, nec meretur assensum, quo quis judicet, rem non posse se aliter habere, adeoque vi suæ apparentiæ posset in aliquo sensu admittere prudentem formidinem, quia posset fallere, cum defacto multæ hujusmodi evidentiæ physica fallant, (supposito scilicet miraculo) atqui sic jam admittit intellectus circa illius evidentiæ objectum, aliquam firmitatem, & robur, præsertim ab actu Fidei, cujus motivum meretur credi, quod non possit fallere.] Ita P. Haun.

224. Ad Testimonium S. Pauli ad Hebr. 11. dicentis, quod Fides sit *Argumentum non apparentium*, & ad Testimonium, quod huic addi posset, S. Augustini tract. 40. in Joan. inquit: *Quid est Fides, nisi credere, quod non vides?* Rectè respondet P. Haun. n. 296. sensum illorum Verborum non esse exclusivum, sed potius extensivum, seu ampliativum, hoc est, non esse sensum, quod fides, sit tantummodo argumentum non apparentiū, seu non potentiū apparere cognitione naturali: sicut nec Verba S. Pauli immediatè

antecedentia. Est autem Fides *sperandarum substantiarum*: in sensu exclusivo prolata sunt, quia etiam ea credimus Fide supernaturali, quæ non speramus, sed potius tememus, ut infernum, & pœnas pro peccatis à DEO infligendas.

225. Alio modo cum P. Haunoldo l. 3. ad textum S. Pauli ad Hebr. 11. v. 1. responderi posset, quali etiam ipse Angelicus Doctor responderet, qui cum in q. 14. de Veritate a. 8. tradidisset, DEVM, non tantum esse objectum formale, sed etiam materiale Fidei Divinæ, & contra hoc sibi objecisset. DEO etiam alias veritates credendas esse, in responsione ad 1. dixit: [Quamvis Divino Testimonio sit de Omnibus credendum: tamen Divinum Testimonium, sicut & cognitio, primò & principaliter est de seipso, & consequenter de aliis. Vnde Fides est principaliter de DEO, consequenter de aliis. Sic ergo responderi potest S. Paulum locutione se de objecto principali, prout non apparenti, & prout ex Veritatibus non apparentibus cognoscitur.

226. Aliam valdè expeditam responsionem suggerit, Albertus M. l. c. ad 1. Quod Fides sit argumentum non apparentium per se dem: Vnde inquit: *Hoc modo, quo Fides est de articulo illo, non potest esse scientia vel ratio de eodem.* Propterea, si aliquis ita esset constitutus, ut objecto revelato nollet præbere assensum, sed simul cum revelatione rationi naturali subnixum, talis assertus non esset vera Fides, & de hac S. Gregorius hom. 26. in Evangelia dicit: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præcedit experimentum.* Si autem Fidei solummodo in conjuncta Scientia, hæc non omnino tollit, sed ordinariè minuit meritum; hinc M. Albertus l. c. ad 1. super Verba Glossæ in c. 14. Joan. *Eat Dominus ne videatur, lateat, ut credatur* respondit: [Vult dicere ibi Glossa, quid assensus Apostolorum magis est meritorius, lateat quoad Visum corporalem; & hoc verum est, quia tantò Fides habet majus meritum, quantò ratio præbet ei minus experimentum.]

